

tium confirmatio sufficiat, ut auditores veritati fidem adhibeant, ad nihil amplius teneris; quia tunc calumnia iniquitati, & obstinationi auditorum imputatur.

108. R. 2. Quod si famam denigrasti verum crimen injuste detegendo, debes restari te male dixisse, & quod injuste diffamasti. Si hoc non sufficiat, debes meliori modo, quo possis, sine mendacio, restitutioni famæ studere, vel laudando virtutes offensis, illiusque dotes, ac prærogativas prudenter celebrando, aut extollendo, illum honorando, vel alio modo, qui arbitrio prudentum congruentior sit ad famæ restitutionem. Ita D. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2.

109. Inq. 6. An quando fama restitui nequit, debeat pecuniis compensari? R. affirm. quia fama compensari debet meliori modo, quo possit, ergo si pecuniis, & non aliter possit, cur non pecuniis compensanda est? & hæc videtur mens D. Thom. loco citato. Omnes conveniunt in eo, quod si infamator est dives, & diffamatus pauper, debet ei aliquam summam pecuniæ tribuere, quando famæ compensatio est impossibilis. Similiter est certum, eam tradere debere, quando in pactum deducitur, ne infamatus litem, aut querelam intenet, aut prosequatur, vel quando Judex per sententiam ad id detractorem obstringit. Igitur cum diffamator debeat modis omnibus operam dare ad restituendam famam, tenetur etiam ad id per exhibitionem pecuniæ, si aliter non valeat. Hinc tamen non inferas, diffamatum posse clam accipere pecuniæ in compensationem famæ, quam diffamator non vult, aut nequit restituere; quia compensationi occultæ non datur locus, nisi debitum sit undequaque certum, liquidum, & determinatum, quod non accidit in præsentia.

110. Inq. 7. An cesset obligatio famam restituendi per compensationem, servata æqualitate? In hac questione tria supponenda sunt. 1. quod ad recuperandam tuam famam minime vales alium infamare: quia hoc non est medium ad famam consequendam. 2. quod si infamia est inæqualis, non valet una pro alia compensari; quia compensatio postulat æqualitatem in debito, & credito. 3. quod si alter, qui te infamavit, veit

tibi famam restituere, debes tu vicissim illi absque compensatione satisfacere: quia nemo potest uti compensatione, quando debitor vult solvere. Igitur questio solum est, an quando alius te infamavit, & tu illum similiter infamasti æquali, vel fere æquali injuria, & ille recusat tibi satisfacere, possis uti compensatione, & differre restitutionem, non quidem ad vindictam, sed ne ea confirmes indirecte tuam infamiam? R. affirm. & constat ex dictis tract. 19. n. 198.

CAPUT III.

De foro judiciali.

Quia Judex, accusator, testis, & reus sunt personæ essentialiter requisitæ ad publicum judicium, idcirco de illis in hoc tertio capite erit nobis sermo cum D. Thom. 2. 2. q. 67. & seqq.

PUNCTUM I.

De foro, causa, & giudice.

111. Inq. 1. Quid sit forum? R. est exercendarum litium locus. Appellatur ita a *fando*, vel a *ferendo*, vel a Rege *feroneo*, qui primus Græcis leges dedit. *Causa est materia negotii*, quæ dum proponitur, dicitur *causa*, dum discutitur, *judicium*, dum finitur, *justitia*. Judicium est *legitimus actus duarum personarum actoris, & rei super eadem questione, sub eodem Judice contracta*. Causa dividitur primo in *ecclesiasticam*, & *secularem*. Prima ad Judicem ecclesiasticum, secunda ad sæcularem pertinet. Secundo dividitur in *civilem*, *criminales*, & *mixtam*. *Civilis* est, quando agitur de re pecuniaria: *criminales*, quæ versatur circa aliquod crimen: *mixta*, quæ partim est civilis, & partim criminalis, ut quando agitur de crimine civiliter ad reparationem damni illati, non ad punitionem. Crimina mixti fori sunt, in quibus datur præventio, sicut blasphemia simplex, perjurium, usura, sortilegium, & similia a laicis perpetrata, nam si ab ecclesiasticis parentur, ad Judices ecclesiasticos pertinent.

112. Inq. 2. Quid sit Judex? R. est *persona habens potestatem, & jurisdictionem ad judicandum*. Alius est *ordinarius*, alius *delegatus*. *Ordinarius* est, qui habet dignitatem, vel officium, cui ex jure, consuetudine, aut præscriptione convenit jurisdictionis; sive suprema, ut in Pontifice, Rege, aut Principe: sive inferior, ut in Episcopis, Parochis, & aliis Rectoribus ecclesiasticis, aut sæcularibus. *Delegatus* est, quia habet jurisdictionem, seu potius usum jurisdictionis ex commissione Superioris: posse autem dupliciter habere delegationem, vel generaliter ad omnes causas, & sic potest eam aliquando subdelegare: vel particulariter ad certam causam, aut peculiare negotium. Deinde alius dicitur *Judex arbiter*, qui ex partium consensu eligitur: & est duplex, unus qui proprie dicitur *arbiter*, qui sententiam ferre debet juxta juris leges, cui stare partes debent sub aliqua gravi poena a se ipsis assignata. Alius dicitur *arbitrator*, qui non tenetur sententiam ferre, servato ordine juris, sed dirimere litem amicabiliter, juxta æquitatem naturalem pro suo arbitrio. Ulterius sunt alii Judices dicti *Pedanei*, qui solum judicant de causis minoribus, aut vilibus. Denique, omissis aliis, dividitur Judex in *competentem*, & in *incompetentem*: Hic autem non est legitimus Judex.

113. Inq. 3. Quot modis acquiratur jurisdictionis? R. quinque modis acquiri posse. 1. Ratione dignitatis, vel officii: ut Papa in tota Ecclesia, & Rex in Regno. 2. Ratione delegationis, vel commissionis. 3. Ratione delicti, vel contractus, domicilii, aut rei, de qua movetur causa. Privilegiatus etiam potest puniri a Judice territorii, in quo deliquit. 4. Ratione injuriæ subdito alterius, Principis illatæ. 5. Ex consensu partium, ut diximus de Judice arbitro. Qui absque aliqua ex prædictis jurisdictionibus aliquid reum judicaret, peccaret graviter contra justitiam, & illius sententia nulla esset, quia usurparet jurisdictionem, qua caret. Verum sententia, & alia acta, quæ fiunt a Judice, carente potestate, sed habito ut tali titulo colorato, & errore communi, valida sunt tam in foro interno, quam externo, ut

tenet communis sententia.

PUNCTUM II.

De aliis requisitis in Judice.

114. Inq. 1. Supposita jurisdictione, quænam alia requirantur in Judice? R. in primis requiritur justitia, seu rectitudo, ut secundum merita causæ, & legum præscripta judicet sine acceptione personarum, juxta illud Sap. 1. *Diligite justitiam, qui judicatis terram*. Justitia pingitur, ut virgo velatis oculis, ne respiciat personas, una manu tenens libram, altera gladium, ut, appensis meritis, unicuique tribuat cito, quod ei debetur. Judex igitur sit justitia animata, ut juxta leges, & merita cujusque juste, ac recte judicet. Judex enim est quasi *jus dicens*. Deinde requiritur in judice scientia eorum, de quibus judicat, ne cæco, & imprudenti modo procedat, sed bene instructus de causis sententiam ferat; alias *judicium durissimum* ei fiet, ut minatur supremus omnium Judex *ibi sap. 6*. Nec juvat dicere, quod per alios satis instruuntur; sibi quippe est necessaria scientia, alter enim sicut per adjuutores aliquando instruuntur, sic per eos quandoque falluntur, vel falli facile possunt. Præcipua cura ipsis incumbit, ipsosmet minatur Deus, igitur vel nuntiant officium, vel illud diligenter explere curent. Rationi repugnat, quod ego comedam, & alius laboret: quod si ego honoratus officio; & exoneratus a labore.

115. Inq. 2. An Judex sive in civilibus, sive in criminalibus debeat judicare juxta allegata, & probata, punireque reum poena proportionata delictis, quibus accusatur? R. affirm. sententiam hæc amplectitur tota schola Thomistica cum suo Angel. Doct. manetque sufficienter explicata, & probata tract. 16. a num. 14.

116. Inq. 3. An liceat intercedere apud Judices, ut reis parcant, aut penam remittant? R. si fiat prudenter, & absque importunitate, aut præjudicio tertii, licitum est, ut testatur communis praxis piorum, ac timoratorum: quia est regulariter Judices teneantur judicare. se-

cundum leges, aliquando vero ex honestis causis valent remittere rigorem legis: maxime circa poenas arbitrarías, & nulli in particulari applicatas: inspicienda tamen est indoles Judicis; nam si rectitudine polleat, securius; si facilius sit, cautius est exorandus.

117. Inq. 4. An Judex possit ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem? Vel quando opiniones sunt æque probabiles, an valeat favere parti, quam maluerit, aut accipere pecuniam pro ferenda sententia in favorem unius præ alio? Resp. neg. constat ex propositionibus damnatis, & rationibus expositis tract. 2. a num. 89.

118. Inq. 5. An Judex possit aliquem damnare absque accusatore? Resp. regulariter non posse: quia nullus est simul accusator, & Judex, nisi ex Dei peculiari commissione, uti fuit Daniel contra senes. Non tamen requiritur accusator formalis, pluries enim sufficit virtualis. Ut dum adest notorietas, aut publicitas delicti. Vel infamia publica, aut clamorosa insinuatio, quæ est vox totius populi, aut rumor inter multos: vel quando crimen committitur coram Judice, & aliis, quibus probari valet: vel delictum est contra bonum commune: vel denique quando datur denuntiatio canonica, quæ fit ad vitanda damna.

119. Objic. 1. Prælati regulares puniunt subditos, & magistri discipulos absque accusatore, ergo similiter Judex poterit idem facere. R. quod Prælati, & magistri regulariter puniunt circa defectus leves, ad quod non requiritur accusator: nam etiam Judex potest decidere causas leves, omissis ordine juris. Si autem Prælati de causis gravibus punire velint, debent observare ordinem juris saltem naturalis, & ea, quæ ad substantiam judicii postulantur: relinquendo delicta gravia occulta soli Deo punienda.

120. Objic. 2. Accusator solum requiritur, ut delictum innotescat judici, ergo dum ipse illud videt, necessarius non est. R. neg. antec. Quia accusator formalis, vel virtualis exigitur, ut perveniat noticia delicti ad Judicem juridice. Ideo si solum Judex illud videt, nequit procedere ad punitionem; quia illius no-

titiam juridice non habet. D. Th. a. 3.

121. Inq. 6. Quid sit pejus, an quod Judex, vel Prælati sit nimis pius, aut quod sit nimis exactus, vel rigidus? R. utrumque esse malum, quia omnia extrema sunt vitiosa; sed Judex, aut Prælati nimis pius solet esse nimis remissus: ex quo sensim pullulat relaxatio communitatis, accrescunt vitia, quia non puniuntur; decrescit virtus, quia non fovetur; boni deplorant, improbi rident, & omnes dissolvuntur cum maxima pernicie reipublice. Unde enim tanta dissolutio morum, tantaque relaxatio communitatis? Non aliunde, nisi ex remissione Superiorum. Zelant isti, & vitia, ac vitiosi non prævalebunt; sed pro dolor! accidit quod, volente Judice, aut Prælati inferiore se gerere cum justa rectitudine, accusatur ut rigidus ad Superiores, credunt isti querelas, impius prævalet adversus justum, & via impiorum prosperatur, delictaque remanent impunita: si Superiores non foveant Judices subalternos, actum est de omni disciplina, sive civili, sive militari, sive regulari. Omnia tamen proveniunt ex remissione: hæc igitur nocet reipublice, & communitati plusquam severitas, proindeque peior est. Cum bonis, & humilibus sit dulcis Superior; cum pravus, & rebellibus sit rectus. Uno verbo, curet: *Parcere subjeclis, & debellare superbos.*

122. Inq. 7. An defectus officii sint quid pejus in Judice, aut Prælati, quam defectus personales? R. affirm. quia defectus personales solum nocent ipsi Superiori; defectus vero officii nocent pluribus. Unde potest quis esse pravus sibi, & bonus Judex, aut Prælati, si recte obeat munus suum: qui autem deficit circa officium proprium, & sibi, & aliis pravus est. Judices, & Superiores, ut plurimum plus peccant omissione, quam commissione.

123. Inq. 8. Quæ aliz qualitates requirantur in Judice? R. valde necessaria est ei probitas vitæ. Hæc autem est duplex, alia exterior, alia interior. Prima consistit in eo, quod non tribuat exemplum pravitatis, aut scandala, & abstinat a verbis contumeliosis, & muneribus accipiendis. Secunda est abstinentia ab odio, amore, aut alia prava affectu-

fectione. Non peccat Judex sententiam ferendo in peccato mortali, ex quo scandalum non oritur: quia sententia nec est actio sacra, nec connexionem necessariam habet cum gratia. Unde ut error in fide profigatur delirium Wicleff assentientis sententiam Judicis, existentis in peccato mortali, esse nullam.

124. Ulterius requiritur in Judice celeritas in causarum expeditione: quia ex officio tenetur quamocius jus suum unicuique tribuere, cui obligationi deficit causas procrastinando cum præjudicio reipublice, & partium, quibus debet restituere expensas, & damna ex sua negligentia, & morositate secuta. Præterea in judice exigitur ætas competens, quæ pro diversis Regnis diversa solet assignari. In Hispania requiruntur saltem viginti sex anni incepti. Denique alias conditiones, ut quod Judices timeant Deum, Regem, & Superiores, non sint avari, nec iracundi, sed mansueti clamant omnes leges, præsertim Hispanicæ.

PUNCTUM III.

De donationibus factis Judicibus.

125. Inq. 1. An liceat Judicibus aliquas donationes, aut xenia a clientibus recipere? R. Quod Judicibus, & aliis ministris justitiæ habentibus salariam designatum pro suo munere, omni jure naturali, positivo divino, & humano esse reprobatum accipere dona, esculenta, aut xenia a clientibus, quia est moraliter impossibile Judicem præfata accipientem procedere in exercitio sui muneris debita rectitudine: qua ratione *Deuter.* 16. dicitur. *Non accipies personam, nec munera: quia munera excecant oculos sapientum.* Et *Eccles.* 20. *Xenia, & dona excecant oculos Judicum.* Idem declamant leges Castellæ, quæ severe prohibent Judicibus, & aliis ministris recipere dona, xenia, esculenta, aut poculenta, nec per se, nec per suas uxores, aut filios directe, aut indirecte sub pena privationis officiorum. Unde Alcames Judex Spartanus rogatus cur munera sibi oblata non accepisset? Respondit: *Quia si accepissem, cum legibus pacem ha-*

bere non potuissem.

126. Inq. 2. An Judices, & alii ministri justitiæ præfata accipientes, teneantur ad eorum restitutionem. R. affirm. quia ea accipiendo, agunt contra leges justas, & accipiunt injuste, ergo tam ex actione injusta, quam ex re accepta, restituere adstringuntur, ut pluries cavent leges Castellæ. Imo de secretariis *tit.* 18. *leg.* 1. dicitur: *Por manera que sean obligados a los pagar in foro conscientie, sin que mas sean, ni esperen ser condenados en ellas.*

127. Verum Judex extra proprium domicilium proficiscens ad aliquem actum justitiæ exercendum in utilitatem reipublicæ, aut aliorum, potest moderatas expensas itineris excipere, quia ad has non tenetur ex vi officii. Idem dicendum est de Episcopo, dum visitat Diocesim, aut Ecclesiam consecrat. Potest enim tunc ex jure communi, & ex Tridentino in vicualibus expensas recipere moderatas; non tamen nec per se, nec per alios dona, aut munera sub obligatione duplum restituendi ex *cap. Romana* 5. *Procuraciones de censibus in 6.*

128. Inq. 3. Cui faciendæ sit restitutio prædictorum a Judicibus, & justitiæ ministris? R. debere pauperibus restituere munera, quæ a clientibus mutua conventionione, seu sponte oblata recipiunt: quia per leges justas dantes, & recipientes privantur eorum retentione. Ea vero, quæ fraude, dolo, aut alia via injusta extorquent a clientibus, istis restituere tenentur: quia injuriam in tali extorsione eis inferunt.

129. Qui Judicibus, aut aliis justitiæ ministris donant munera, aut xenia peccant graviter, quia eorum injustitiæ cooperantur. Dantes, aut recipientes pro obtinenda justitiæ, vel gratia apud Sedem Apostolicam peccant, tenentur ad restitutionem, & insuper incurrunt excommunicationem majorem Pontifici reservatam: quas poenas a Bonifacio VIII. impositas, extendit ad fautores, & complices Greg. XIII. & clericos contravenientes omni officio, & beneficio defacto privat. Unde solum in aliquo casu raro ad injustam vexationem redimendam licitum erit Judici, & ejus ministris munera, & xenia offerre. Quod supponitur

a jure Hispano, quod permittit posse repeti, si quæ judici donata fuerint, ne injuste judicaret. *Leg. fin. tit. 23. part. 3.*

130. Inq. 4. Quibus pœnis subiaceat Judex, qui muneribus corrumpi se permittit? R. Judex *Batarius*, seu corruptus præter gravissimam culpam, & infamiam, quam incurrit, maximis pœnis subiacet. Unde non semel excoriata ejus pellis sedi tribunalis ad aliorum terrorem affixa est. Ita fecisse Cambysem, fertur, cum Sisamni judice corrupto, & Regem Persarum cum alio. Jure communi Judex corruptus pecunia capite multabatur; quod præcipue urget, dum innocentem morti traderet. Jure Hispania, si causa est pecuniaria, ad restituendum duplum Judices, & quadruplum secretarii adstringuntur; & insuper damna, & expensas, quæ injuste damnatus passus est. Jure canonico Judex ecclesiasticus Baratriam committens, ab officio per annum suspenditur. Eisdem pœnis subiacet Judicem corruptentes, ut injustam proferat sententiam: quia corruptus, & corrumpens sunt correlativi.

131. Inq. 5. An Judex executor, seu commissarius electus ad plures faciendas executiones in eodem, vel diversis locis, possit a singulis debitoribus integrum, & diarium stipendium exigere? R. negat. Nam stipendium diarium executori designatum a Judice, ut duodecim regalium in nostra Hispania, est pro opere uniuscujusque diei, & non pro munere executionum, quæ eodem die confici possunt, ergo dividendus est inter omnes debitores, ita ut singuli pro rata ad illud solvendum, & non amplius adstringantur. Sic expresse cavetur in *leg. 6. novæ recopil. lib. 6. tit. 14.*

132. Nec Judices mittentes executores possunt cum eis pacisci, ut dent illis partem stipendii designati: quia Judex non est dominus, sed merus dispensator horum officiorum, ergo nulla adest ratio, ut partem stipendii sibi accipiat. Potest tamen creditor, quando in instrumento obligationis assignatum est salarium eunti ad recipienda debita, convenire cum executeore pro minori stipendio, sibi reliquum reservando: quia tale stipendium est designatum, velut pœna

conventionalis in favorem creditoris, ut debitor citius solvat, ergo poterit ille cum executeore pacisci, ut secum dividat. Si executeor pergat ad locum executionis per viam longiorem, quam opus est, nequit percipere salarium correspondens longiori itineri, ut ex se patet.

PUNCTUM IV.

De modo procedendi per inquisitionem.

133. Tripliciter potest Judex procedere ad ferendam sententiam, nempe per *inquisitionem*, per *accusationem*, & per *denuntiationem*. Procedit per *inquisitionem*, quando, nullo accusante ex officio, inquirit de delictis, & delinquentibus ad purgandum populum ab sceleratis. Procedit per *accusationem*, quando adest accusator deferens delictum ad Judicem. Procedit per *denuntiationem*, quando defertur Judici reum ab eo, qui ad illud probandum non vult se obligare.

134. *Inquiro* est idem, ac *inter querro*, vel *valde indago*, seu *investigo*. Unde prout ad criminalia refertur, *inquisitio* est *criminis*, vel *criminosi per Judicem legitime facta indagatio*. Dividitur in *generalem*, *specialem*, & *mixtam*. *Generalis* datur, quando Judex, incerto delicto, & delinquente, absolute inquirat, absque eo quod explicet crimen, vel personam, uti efficiunt visitatores in suis visitationibus. *Specialis* est, quando de certa persona, & culpa fit inquisitio, ut dum queritur, an Petrus furtum fecerit. *Mixta* est, quando delictum exprimitur, persona vero inquiritur in communi: ut si, invento homine occiso, & homicida ignorato, a Judice per inquisitionem queratur: vel econtra, quando persona est determinata, & crimen in generali, ut si de Petro inquiratur, an in officio, quod finivit, aliquod crimen commiserit.

135. Inq. 1. An ad inquisitionem generalem requiratur, quod præcedat infamia? R. negat. quia ad purgandam rempublicam, vel Diocesim necessaria est talis inquisitio, ex qua nulli fit injuria, quia de nullo fit specialis inquisitio. Si autem aliqui ignoranter ex vi hujus inquisitionis delicta occulta manifestent, hoc est

est præter intentionem, & per accidens ex simplicitate eorum, ob quod non est omitendum medium per se omnibus utile. Ad vitandum autem prædictum inconveniens, debent Judices, saltem ex caritate, in suis edictis monere, quod tantum inquirunt de delictis, quorum auctores aliqua laborant infamia, maxime in populis, & villis, ubi viri docti sunt pretiosi, & in visitationibus monialium. Non est hic sermo de delictis ad S. Tribunal spectantibus: hæc enim, & alia, quæ in damnum commune cedunt, etiam absque ulla infamia præcedente, denuncianda sunt.

136. Inq. 2. Quid debeant inquirere visitatores monialium? R. debeat querere, an moniales officia divina devote persolvant: an pannis sericis, sandaliis comatis, crispatis crinibus, aut virgatis capaollis utantur: an sæcularium festa, aut choreas agant: an cum devotis suis frequenter confabulentur: An recipiant sorores ultra eas, quæ redditibus monasterii decenter sustentari valent: an observent proprias leges, & constitutiones: maxime vero clausuram, & alia expressa a Bonifacio VIII. in *cap. periculoso*, de *statu regul.* in 6.

137. Inq. 3. An ad procedendum per inquisitionem specialem requiratur infamia? R. affirm. quia inquisitio specialis est de persona determinata, & crimen inquisitionem fit injuria, nisi præcedat infamia. Excipluntur aliqui casus, ut crimen hæresis, apostasia, læsæ Majestatis, falsificationis monetæ, & alii, in quibus procedi valet, etiam infamia non præcedente. Exceptis igitur peculiaribus casibus, ad inquisitionem specialem debet præcedere infamia, vel indicia manifesta, quod potiori ratione observandum est circa ecclesiasticos, & regulares, quia eorum fama præstantior est fama sæcularium.

138. Inq. 4. An ad inquisitionem mixtam requiratur infamia delinquentis? R. negative. Testatur hoc communis praxis, qua Judices, invento cadavere hominis occisi, inquirunt de occisore, ut suo muneri, populoque satisficiant; scandalum enim daret subditis videntibus homicidium, si non curaret malefactorem inquirere. Verum testes non tenentur ma-

nifestare occisorem occultum, cujus nulla præcessit infamia, nec ad id potest Judex obligare: quia illicitum est peccatorem occultum manifestare. Unde multo minus quit ipsum reum, si forte ut testis vocatur, ad se prodendum compellere, nisi servato ordine juris.

139. Si autem testis, aut reus aliquod crimen occultum manifestet injuste Judici in inquisitione generali, probabilius est, posse deinde Judicem procedere contra reum per inquisitionem specialem, si injustis interrogationibus non extorsit notitiam criminis occulti. Quia Judex ex vi sui officii tenetur procedere contra reum, ut talem juridice cognitum; sed in casuposito reum cognovit juridice ex notitia a teste manifestata, esto ignoranter, aut injuste, ergo potest, & debet contra reum procedere, nam fere omnes criminosi laborant infamia ex aliqua prima notitia injuste manifestata. Si vero Judex injuste extorsit notitiam, minime valet procedere contra reum, quia omnia acta erunt nulla, & injusta.

140. Prælati nequeunt inquirere de delicto subditi particularis cum dubio, quia in dubio melior est conditio possidentis. Imo Prælati præcipue incumbit attendere famæ subditorum, nihil in publico agendo, quod de illis aliquam diffidentiam manifestet, nec inopinato cum dedecore illos mutando in alium conventum, aut avertendo illos ab aliquo officio, nisi necessitas, aut decor communitatis urgeat.

PUNCTUM V.

De requisitis ad inquisitionem specialem.

141. Inq. 1. Quæ sint necessaria ad hoc, quod inquisitio specialis valida fit? R. Plura requiri. 1. requiritur probatio corporis delicti. Unde praxis Judicum est interrogare cadaver, a quo fuerit occisum, ut ex eo constet, vere esse occisum, & ex non responsione, probetur corpus delicti. 2. Requiritur accusator saltem virtualis, hoc est, infamia probata: non enim sat est adesse infamiam, sed debet hæc probari saltem per duos testes singulares. 3. Quod contineat omnes

nes delicti circumstantias, ut sic possit reus in iudicio se defendere de hoc furto, hoc homicidio, aut quid simili. 4. Debet explicari locus, & tempus. 5. Ut procedat ex iudiciis publicis. 6. Quod fiat a iudice competente. 7. Quod fiat intra viginti annos a commissione delicti. Aliqua delicta post quinquennium præscribunt, ne possit contra ea jam procedi: ut adulterium singulare, stuprum absque vi, lenocinium, & incestus. 8. Quod reus non sit absolutus de tali crimine; quia de eodem delicto bis quæri non potest, nisi nova deducantur probationes, aut in alio casu raro.

142. Inq. 2. Quomodo sit procedendum per viam inquisitionis in regularium causis? R. Prælati habens legitimam potestatem ad formandum processum contra reum, probata iudice infamia, & in capite processus posita, debet primo eligere secretarium, qui præstando iuramentum fideliter suum munus exercendi, conscribat omnia acta coram ipso iudice gerenda. Deinde debet examinare testes idoneos per articulos ab eodem, & secretario distincte formatos, sumendo ab eis prius iuramentum de veritate dicenda, & inquirendo in iusculisque ætatem. Sacerdotes jurare debent in verbo *Sacerdotis*, posita manu supra pectus. Laici Deo, & cruci efformando illam, vel tangendo eam. Nota, quod peracto examine in fine ultima responsionis cuiuslibet testis debet secretarius ita scribere: *Quæ omnia affirmavit, vera esse sub iuramento, quod fecit: & cum omnia, quæ deposuit, ei lecta fuissent de verbo ad verbum, illa ratificavit, propriaque manu subscripsit.* Debet etiam iudex, & secretarius subscribere. Si autem testis nesciat scribere, debet unam crucem sic ✕ efformare, & alius pro eo subscribere, suum nomen, non testis, apponendo; quod secretarius expresse adnotabit.

143. Post hæc videat iudex, quid vincatur ex testium depositione: Si enim nullus testis oculatus, nec semiplena adest probatio, nequit reus legitime interrogari; sed procedendum ad alios testes examinandos, vel desistendum ab ulteriori inquisitione: nisi adsint gravia iudicia, & infamia, quæ, ut probata, quit

esse testis contra reum, licet, ut publica, sit accusator.

144. His præiudis, & reo citato, vel fateatur culpam, vel negat. Si primum, concedat tempus congruens, ut si quam habet excusationem, illam proponat, & ratificet primam confessionem, ut sic maturius procedatur: qua confessione, & ratificatione supposita, potest proferre sententiam. Si delictum negat, & est plene probatum, valet etiam, sufficienti tempore concessio, sententiam proferre. Si non adsit plena probatio, procedi debet ad reum convincendum, alios testes examinando, & etiam per torturam, quæ in regularibus mitiorem esse convenit, ut per strictiorem carcerem, severiora jejunia, aut verberationem. Si in tortura veritatem negavit, absolvendus est; quia tunc iudicia purgare dicitur. Si vero illam fateatur, postea extra torturam ratificare debet, & sic procedi valet ad ferendam sententiam.

145. Quando per viam inquisitionis proceditur, quamvis plena probatio obtineatur, mitius agendum est in pœna imponenda, quam si per accusationem procedatur. Quod intelligas ex iure canonico, & quando delictum non est notorium, aut ex confessione partis comprobatum; nam iure civili debet iudex imponere pœnam ordinariam delictis. Regulares appellare valent de sententia Prælati inferioris ad Superiorem, servato ordine juris intra religionem: at ad Iudices extra ordinem solum, quando sententia foret contra propriam regulam, aut constitutiones nimis excessiva, quod rarissime contingere potest. *Vid. tract. 38. num. 71. & seq.*

146. Regulares in sententiis proferendis non tenentur observare apices juris, ut sunt citationum intervalla, dilationes interlocutorie, quod sententiæ prolatio sit sedendo, & alia, quæ non spectant ad essentiam iudicii: hæc enim observata, procedere valent reiiciendo protestationes calumpnatorias, dolosas, aliasque inanes exceptiones: *Simpliciter, summarie, & de plano sine strepitu, & figura iudicii, sola veritate facti inspecta*, juxta proprias ordinis constitutiones, & privilegia apostolica diversis religionibus concessa.

PUNC.

PUNCTUM VI.

De accusatore.

147. Inq. 1. Quid sit accusatio? R. est delatio rei de crimine commisso facta in libello accusatorio coram iudice competente ad vindictam ad bonam communem. Quinque requiruntur ad legitimam accusationem. 1. Quod fiat in scriptis ab accusatore, vel a notario. 2. Quod nomen accusatoris, & accusati, vel saltem huius officium scribatur. 3. Quod etiam scribatur species delicti in particulari, ut reus possit se defendere. 4. Quod exprimat locus, & tempus, in quo delictum fuit commissum. 5. Quod accusator subscribat accusationem, ut censeatur obligatus ad probandum delictum: alias exponitur infamie, & pœnæ talionis, vel arbitraria a iudice infligenda.

148. Accusatio differt ab inquisitione, quia in ista potest procedi ex sola infamia: ac in accusatione defertur crimen ad iudicem. Differt a denuntiatione evangelica, quia hæc non fit iudici, ut tali, sed ut patri: illa vero fit iudici, ut iudici. Differt etiam a denuntiatione judiciali in eo quod, licet hæc fiat iudici ut tali, sine obligatione tamen ad probandum delictum: accusatio vero hæc subit obligationem. Unde accusatio differt essentialiter a denuntiatione evangelica, & accidentaliter a denuntiatione judiciali.

149. Huiusmodi accusatio judicialis locum habet etiam apud religiosos: quia isti non minus quam sæculares debent attendere bono communi religionis. Verum est, quod si damno occurrere valeat per viam denuntiationis, judicialis accusatio reiicienda est, ne turbetur pax religiosa, & ne caritas dimonatur.

150. Probabilis est sæpe homines teneri sub gravi ad accusandum, ut in criminibus, quæ cedunt in damnum commune religionis, vel reipublicæ, quæ sunt hæresis, proditio patriæ, aut civitatis, compilatio ærarum publici, conjuratio in Regem, & similia, quæ si probare vales ad accusandum teneris: si vero nequeas probare, ad ea denunciandum: imo illi, qui ex officio tenentur

accusare, ut consules agrorum, aut vicinorum, & ministri Regni, si omittant accusationem, peccant graviter, & ad restitutionem tenentur: quia ex iustitia ad id sunt obstricti. Alii, qui ex officio non obligantur, peccant graviter contra caritatem, si commode possint accusare delictum vergens in damnum innocentis, & omittant: quia ex iure naturæ tenetur quilibet defendere innocentem. Ad vindicandam propriam injuriam nemo tenetur accusare, si possit cedere juri suo absque alterius detrimento.

151. Inq. 2. Qui prohibeantur accusare? R. dari plures legibus inhabiles ad accusandum; ut infames, excommunicati, pupilli, filii contra parentes, aut parentes contra filios, laici contra clericos, omnes regulares contra religiosos, religiosi unius Ordinis contra religiosos alterius, inimicus capitalis; talis dicitur cognatus ejus, qui occisus fuit, vel natus est occidere, aut graviter diffamatus, vel spoliatus majori parte rei familiaris, criminis socius, clericus in causa sanguinis, juxta dicenda de irregularitate. Omnes memorati sunt inhabiles ad accusandum quibusdam limitationibus, quæ apud autores videri possunt. Religiosus ex gravi causa posset, esto raro, accusare suum Abatem, aut Prælatum, non solum de crimine hæresis, aut alterius in damnum commune cedentis, sed etiam in propriam justam defensionem: quo in casu expensæ ad litem, si alias peculium non habeat, sunt ei de bonis monasterii tribuendæ. Sæculares nisi de licentia Abatis accusare nequit monachus, quia mortuus est mundo, ut dicitur *cap. Placuit. 16. q. 1.*

152. Iudices repellere debent plures querimonias, & accusationes inanes, ac frivolas ex invidia, non ex zelo prodeuntes: quia, & iudices, & patres sunt, qui communi debent attendere tranquillitati, & paci, quæ maxime his querelis perturbatur; si autem scandalum timeant sequendum, occurrant illi pruden-ter, vel manifestando causam omittendi, vel dicendo se sufficientem habere ad repellendum similes accusationes, quæ utpote exorta ex venenata radice, plus nocent, quam prosunt reipublice, manoraque scandala, ac amariores fructus ad-

admissæ, quam repulsæ producant,

Р У Н К Т У М VII.

De denunciatione.

153. Inq. 1. Quid sit denunciatio? R. est manifestatio facta Superiori, ut remedium, aut correctionem, vel penam adhibeat. Apud Theologos est duplex, nempe evangelica, qua defertur crimen Superiori tanquam patri ad emendationem; & judicialis, qua crimen defertur Superiori, ut iudici: vel ad punitionem, vel ad compensationem damni illati; vel ne indignus ad officia, aut ordines promoveatur, aut matrimonium contrahat. Differt ab accusatione, quia hæc ad punitionem ordinatur: denunciatio vero arbitrio iudicis negotium relinquit. Differt etiam, quia accusatio debet fieri in scriptis, quod non exigit denuntiatio. Differt denique; quia accusator debet probare delictum; secus vero denunciator. Ad denunciationem evangelicam regulariter necesse est, quod præcedat correctio fraterna, non autem ad judicialem, ut constat ex dictis de fraterna correctione.

154. Denuntiatio evangelica aliquando transire potest ad judicialem; nempe, quando prius defertur crimen ad Prælatum tanquam ad patrem, ut ab ipso correptus respiscat; si autem non corrigatur, & per fiscalem, aut alium denuntietur Prælato ut iudici, quia tunc, præmissa tria canonica monitione, poterit illi imponere excommunicationem, ne simile delictum committat. Pariter denunciator potest transire in testem, quando iudex procedere vult ad punitionem: quia, finito processu fraterno, incipit judicialis: quo in casu denuntians non est respectu ejusdem processus simul denunciator, & testis.

155. Quando Prælato denuntiat crimen subditi non probabile per duos testes, & idem est, si ipse illud vidit, debet, ut verus pater corrigere secreto, vel coram duobus viris prudentibus subditum, ut in meliorem frugem reducat. Verum, si omnia ad hunc finem apposta frustrentur, nihil aliud facere debet, præter continuas preces ad Deum

pro illo fundere; nisi in damnum commune delictum cederet. Nam homo solum probabiliter iudicare, & punire valet. Imo esto delictum sit per duos testes probabile, si adhuc manet occultum, nequit Prælatus, cui fraternaliter denuntiatum est, deducere illud ad forum contentiosum; alias subditi videntes Prælatum ex denuntiatione evangelica ad judicialem transire, eos cogendo ad testificandum, deterrentur a faciendis denuntiationibus evangelicis; quod cederet utique in damnum commune, essetque contra præceptum correctionis fraternelæ.

156. Inq. 2. An quando Prælatus inferior potest corrigere, & emendare delictum, quod sibi est denuntiatum, peccet illud manifestando Prælato superiori? R. affirm. quia defectus proximi est curandus cum minori damno famæ ipsius, ergo dum Prælatus immediatus valet illum emendare, contra caritatem ageret, Superiori revelando. Quod asserimus, quando culpa ex mera fragilitate est raro commissa. Nam si subditus esset assuetus ad eam, potest, & debet moneri Superior, ne occasione illum exponat. Idemque intelligas, quando subditus de uno in aliud transit monasterium. Advertant igitur subditi, quod ita incumbit Prælati eorum attendere famæ, ut simul eorum spirituali salutis prospiciant, & religionis decori.

Р У Н К Т У М VIII.

De testibus.

157. Inq. 1. Quid sit testis? R. est legitimus probator super statum causæ alterius adductus. Testis omni exceptione major dicitur, qui habet omnia requisita a jure petita, & reprobari non valet, & ideo dicitur legitimus. Econtra, qui aliquo requisito caret, vel cui aliqua exceptio juris opponi valet, dicitur inhabilis, seu illegitimus.

158. Inq. 2. Qui repellantur a testificando? R. in primis mulier nequit testificari in criminalibus jure canonico. Jure vero civili mulier probatæ vitæ est testis habilis, sive in civilibus, sive in criminalibus; ita ut si dux foemina, & duo viri testificentur opposita, creden-

dum

Cap. III. De foro judiciali.

dum sit foemina, si probatæ vitæ sint; secus vero viris: quia attenditur qualitas plusquam sexus. Deinde minor viginti annorum inhabilis est ad testificandum in criminalibus, & impuberes etiam in civilibus. Similiter infames, inimici capitales, socii criminis, viles, inopes, servi infideles, perjuri, consanguinei, domestici, advocati, & procuratores in eadem causa, laici contra clericos, pariter clerici, & religiosi absque licentia Prælati nequeunt licite testificari. Omnes enumerati repelluntur a testificando, quando veritas aliter haberi potest; sin, admitti debent, & faciunt probationem, quæ iuncta cum aliis iudiciis sufficiat ad fidem, seu torturam. D. Thom. a. 3.

159. Inq. 3. Qui dicantur testes singulares? R. tales dici, qui testificantur de diversis factis, aut delictis: vel quando unus solus potest de delicto testificari. Tunc si est legitimus, facit semplenam probationem; probatio enim plena solum habetur per duos testes contestes: & sunt contestes, quando conveniunt in testificando de eodem delicto, & in circumstantiis principalibus, ut in tempore, & loco. Si autem unicus testis est officialis publicus, ut custos agrorum, medicus, chirurgus, & peritus in sua arte, facit plenam probationem. Similiter unicus testis sufficit ad probandam Ecclesiæ consecrationem, baptismi, & aliorum sacramentorum receptionem, ad impediendum matrimonium, & lesionem minoris, ad probandum miraculum secum operatum, suppositis iudiciis, & ad interpretandum testamentum quoad legata, aut hereditatem, quando testator dicit in testamento, ut stetur dicto talis personæ. D. Thom. a. 2. ad 2.

160. Inq. 4. An testis legitime interrogatus de aliquo delicto, teneatur ad iudicis mentem respondere? R. affirm. alias est perjurus, & peccat graviter contra obedientiam, & justitiam legalem, aut etiam commutativam, si inde notabile damnum alteri eveniat. Circa ea autem, quæ sciuntur in confessione, nemo legitime interrogatur; nec circa ea, quæ quis scit sub secreto commisso, tenetur testis, imo non potest testificari, nisi vergant in damnum commune, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. Quando Ju-

Tom. I.

dex interrogat de factis, testes, qui ea audiverunt, non teneantur respondere, quia quæ audimus, non scimus. Si autem interroget de delictis, quæ in voce consunt, ut blasphemia, aut contumelia, testis, qui illas immediate a delinquente audivit, tenetur respondere; secus si eas ex alieno, aut mediato auditu perceperit.

161. Testes in criminalibus examinari debent ore tenus coram iudice, aut eo legitime impedito, coram alio a se delegato: quia ex aspectu, & gestu testium melius informatur iudex de veritate testificata. Debent interrogari de ætate, & deinde de omnibus ad substantiam facti spectantibus, atque de circumstantiis principalibus. Debent postea ratificare sub novo juramento; quod in causis clericorum, & secularium, dicunt plures, esse omnino necessarium. Et licet quoad regulares non ita necessarium reputetur; nihilominus in causis gravioribus, sic convenit fieri. Circa novum vero juramentum attendatur, & observetur praxis, & stylus tribunalium.

162. Testis, qui se veritatem dictorum juravit, si inveniatur falsum dixisse circa aliquod substantiale, non probat circa alia. Quando unum dixit in iudicio, & alterum extra, priori dicto standum est. Si tabellio unum scripsit, & postea testis aliud se dixisse affirmet, tabellioni est credendum. Qui ex ignorantia, aut oblivione falsum testatus est, debet defectum manifestare iudici ante prolationem sententiæ, ne innocens damnificetur. Si autem ex pravitate falsum dixit, tenetur liberare innocentem, etiam cum suæ vitæ, aut famæ dispendio, damnaque inde secuta compensare, atque se retrahere; maxime si adsit spes liberandi innocentem a morte, aut infamiam ad hoc enim compellitur propter injuriam in testificatione commissam. Ex eadem ratione, qui alterum induxit ad falsum testificandum contra proximum, debet ei suadere, ut se retrahat coram iudice; & recusante teste, tenetur ipse iudici suam fraudem manifestare, si adsit spes accusatum liberandi; imo licet non adsit spes eum liberandi, debet, quantum ipsi possibile sit, agere, ut fama laesa restitatur per se, & per alios;

Xxxxx

ali-

aliter non satisfacit injustæ machinationi. Testis tenetur ex caritate se offerre ad iustificandum, si valeat absque gravi incommodo, ut impediatur damnum notabile proximi, ut constat ex dictis de caritate.

PUNCTUM IX.

De reo.

163. Inq. 1. An reus semper teneatur respondere iudici interroganti? R. Ut ad id teneatur, debet prius certificari iudicem legitime illum interrogare: ad quod requiritur, quod ei ostendantur probationes contra eum, suppresso nomine testium, vel iudicia evidentiâ, vel infamia delicti, aut alia, quæ iudici præbent jus interrogandi. Quibus patefactis, tenetur reus semper respondere iudici legitime interroganti; adhuc quando sua delicta poena capitali puniri debeant: quia iudex legitime procedens jus habet interrogandi reum; ergo hic debet ei verum respondere. Sunt quippe correlativa jus interrogandi in iudice, & debitum respondendi in reo; sicut jus præcipiendi in Prælato, & debitum obediendi in subdito. Ita D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 1.

164. Objic. Nemo tenetur se prodere, nec obedire Superiori cum periculo vite, ergo nec reus tenetur iudici respondere cum tali periculo. R. Quando quis a Iudice legitime interrogatur, non se prodit, sed ab alio proditur; adest enim sufficiens probatio, ut legitime interrogetur. Subditus autem tenetur obedire Superiori etiam cum periculo vite, quoties congruat bono communi: congruit autem malefactores punire, quod sæpe assequi non posset, nisi teneretur reus obedire, ac respondere iudici legitime procedenti. Ita D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 1.

165. Inq. 2. An reus, qui veritatem celavit iudici legitime interroganti, teneatur redire ad eam fatendam? R. Ante prolationem sententiæ tenetur veritatem iudici aperire: quia adhuc durat iudicis præceptum obligans reum ad veraciter respondendum. Cæterum, prolata iudicis sententiâ, non tenetur: quia finitum est iudicium, functusque est iudex

suo officio. Nisi foret crimen hæresis, aut aliud cedens in damnum commune, aut particulare innocentis; quia tunc semper tenetur illud fateri; alias minime quit absolvi; imo in hoc casu tenetur reus manifestare socios criminis: quia hoc caritas, & iustitia postulant.

166. Reus, qui metu tormenti falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat graviter contra propriam vitam, & forte contra aliorum famam. Ideo tenetur se retractare, etiam cum periculo quavis tormenta patiendi. Torqueri prohibentur, nisi in criminibus exceptis, viii illustres, vel alta dignitate pollentes, doctores, milites, senes, impuberes, prægraves, vel nondum a partu confirmatæ. Injustæ sunt torturæ, quas reus moraliter sustinere non valet; idcirco omnes alia mitiores viæ tentandæ sunt, priusquam ad torturam deveniatur, quæ ultimum est medium, & valde periculosum ad veritatem detegendam. Nullus potest torqueri, nisi adsint probationes, aut iudicia de crimine tali cruciati condigna, ita ut sola confessio rei ad plenam probationem deesse videatur; quia tortura instituta est ad probationis subsidium, ubi iudicia sunt valde clara, sed non sufficientia ad plenam probationem. Utinam eliminaretur procul a Christiana republica!

167. Si reus in tortura nihil est confessus, nequit iterum torqueri, nisi nova iudicia superveniant, quia per torturam priora elisit. Si crimen, quod in tortura fassus est, extra eam revocet, repetitur tortura. Si autem tertio tortus, & fassus, tertio retractet, absolvendus est: quia præsumitur vi tormentorum coactam fecisse confessionem falsam; nisi iudicia sint gravissima, quæ violentam pariunt præsumptionem, delictum a reo malitiose negari, tunc namque, quarto etiam torqueri valebit juxta aliquos.

168. Inq. 3. An possit reus accusatori opponere falsum, aut occultum defectum in sui defensionem? R. Negative ob quamcumque causam; quia falsum deliberate proferre est intrinsece malum, ergo ob nullum motivum est licitum. Accedit proscriptione doctrinæ oppositæ in propositione 44. damnata ab Inno. XI. Pro-

labile est, non peccare mortaliter, qui imponit alteri falsum crimen, ut suam iustitiam, & honorem defendat; & si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in theologia. Ubi damnatur asserere, non peccare graviter imponentem alteri falsum crimen ad suum defendendum honorem, seu iustitiam. Non tamen damnatur opinio asserentium, licere reo infirmare dictum testis, aut accusatoris manifestando aliquod eorum crimen verum, esto occultum. Nec alia opinio adstruens, esse probabile, posse reum accusatum de vero crimine occulto impingere accusatori defectum veritatis: esto huiusmodi opiniones non absolute sicut in praxi admittendæ. D. Th. a. 2.

169. Inq. 4. An liceat reo a sententiâ appellare? R. Si sententiâ foret aperte injusta, aut dubia, potest reus per subsidium appellationis sibi consulere. Si sententiâ est undequaque justa, peccat graviter ab ea appellans, tum quia iudicis obedientiam spernit, tum quia testibus falsum imputat, tunc denique, quia alteri parti præjudicat, ergo peccat graviter, & ad damni ejuslibet inde secuti restitutionem adstringitur. In causa criminali licita est appellatio, etiam cum opinio minus probabilis, quia potest iudex in criminalibus favere reo etiam cum opinio minus probabilis. In causa autem civili non licet appellare, nisi cum opinio probabiliori. Si vero quis agnosceret ex stylo tribunalis superioris, sibi esse favendum, posset licite appellare cum opinio vere probabilis, quia iure naturæ cuique licet se via honeste tueri. Nam sæpe opinio, quam iudex superior probabiliorum iudicat, iudici inferiori minus probabilis apparet, aut e contra. Idem Angelicus a. 3.

170. Inq. 5. An reus possit e carcere fugere? R. Sub distinctione. Vel enim carcer est per modum poenæ, aut quandiu debita solvat, & sic minime licet reo fugere, si habeat unde solvat, quia poena iuste imposita subeunda est. Vel carcer datur ad custodiam temporalem, aut perpetuam, & in hoc duplici casu potest fugere, quia nemo tenetur subire poenam ante iudicis sententiâ, ejus applicativam, nec ad perpe-

tuam, quæ gravissima est. Similiter reus ad mortem damnatus valet licite fugere, etiam infringendo carcerem, ejusque vincula, & parietes, quia cui licitus est finis, licita sunt media; sed apud omnes licitum est reo damnato ad mortem fugere, ergo & media ad hunc finem. Imo aliis, exceptis ministris iustitiæ, licet reo consulere, & ministrare instrumenta ad dictum finem. Non autem licet amicis rei juvare immediate, aut physice cooperari ad carceris fractionem, quia ad hoc solum habet jus reus pro sua vita, aut membris tuendis, secus ceteri, quibus tale damnum non imminet. Tenetur tamen reus damna ex fractione secuta, si vires suppetant, solvere. Sicut qui equo alieno in necessitate extrema uteretur, debet solvere domino, si pereat, & habeat ad solvendum.

171. Inq. 6. An liceat reo damnato ad mortem donis, aut pecuniis custodes corrumpere? R. Dummodo absit fraus, dolus, aut mendacium potest decipere custodes sive donis, sive pecuniis, sive astutia, & sagacitate, quia reus habet jus ad suam vitam conservandam, ergo, sublato mendacio, fraude, aut dolo, potest suam vitam redimere quacumque via sibi permessa. Et sicut in bello, aut ludo permissæ sunt quedam astutiæ, aut insidiæ communes, quæ si attendantur, facile percipi possunt; alias non attendenti imputantur, ita in presenti. Nullo autem modo potest reus custodibus, aut iudici vi, aut armis resistere, esto possit aufugere: alias violaret graviter obedientiam debitam iudici ejusque ministris. Si injuste esset ad mortem damnatus, posset licite resistere ad se defendendum, dummodo absque vi, & armis, & sine scandalo id fieret, quod inquit D. Thom. 2. 2. q. 69. a. 4.

172. Quamvis reus ad mortem damnatus possit licite fugere, potest etiam non fugere, sed sustinere mortem a ministris infligendam. Similiter esto amici valeant illi consulere fugam, ministrare instrumenta ad illam, non tamen ad hoc tenentur, nec ad ministrandum cibum damnato, ut fame pereat, licet possint commode ministrare, quia reus nullum jus habet, privaturque omni ju-

re, ut alii ei ministrent ex sententia a Judice prolata. Nihilominus ipse reus debet sumere cibum ab aliis clam oblatum, quia tenetur mediis licitis conservare vitam.

173. Objic. Juxta dicta reus damnatus ad mortem potest non fugere, ergo damnatus, ut fame pereat, poterit cibum non sumere. R. nego conseq. quia non fugiens non sibi immediate infert mortem; verum non comedens illam sibi infert, ut ait Angelicus *ubi supra ad 2.*

CAPUT IV.

De advocatis, tabellionibus, & aliis curialibus.

ADvocati, & alii curiales accidentaliter ad forum judiciale pertinent; ideo singillatim de eis agemus in hoc ultimo capite, brevitatii proprii compendii consulentes.

PUNCTUM I.

De advocatis.

174. Inq. 1. Qui arceantur ab officio advocati? R. Arceri saltem sequentes: amentes, furiosi, impuberes, qui decem, & septem annos non sunt nati, surdi, muti, caeci, infideles, hæretici, excommunicati, servi, fœminæ, sodomitæ, omnes infames, atque etiam monachi; & Sacerdotes coram iudice sæculari, ita D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 2. & varia capita juris canonici.

175. Advocatus tenetur sub peccato pauperum causis patrocinari, non solum in necessitate extrema, sed etiam in gravi: in illa etiam cum gravi incommodo debet. Eodem modo tenetur in communibus necessitatibus pauperum cum levi suo incommodo. Tum, quia caritas jubet succurrere proximo graviter indigenti, dum possum absque gravi incommodo. Tum, quia jura præcipiunt, quod Judex exhibeat pauperi advocatum; & isto nolente ei patrocinari, potest illum punire. Est enim fractor juramenti initio officii præstiti. Nec excusantur ex eo, quod dentur alii advocati ad tale patrocinium designati. Nam loquimur quan-

do illi nolunt, aut nequeunt, & pauperes non habeant alium defensorem. Quas opiniones amplecti debeat advocatus constat ex dictis tract. 2. a n. 91. D. Thom. q. 71. a. 1.

176. Si advocatus, qui in litis exordio causam judicabat justam, aut probabiliorē, in progressu injustam agnosceret, debet clienti suo injustitiam causam manifestare, & eam deserere, alias subit onus restituendi omnia damna utriusque parti causata. Non licet advocato manifestare alteri parti secreta sui clientis, nisi in gravissima causa capitis, aut famæ præclarissimæ, quam injuste accusator vellet defendere. Idem Angelicus a. 3. ad 2.

177. Advocatus debet sub gravi culpa, & onere restitutionis scire ea, quæ ad suum munus rite obeundum adincent juxta causarum, & negotiorum qualitatem. Quod est commune judici, tabellioni, procuratori, relatori, & cuiusque aliquid officium admittenti. Tria autem præcipue debet advocatus observare. 1. Ne sit præceps, sed prudens in consulendo, & causas defendendo. 2. Ne suscipiat, nec defendat causas sophisticas, sed solidas, & communes, nec plures, quam defendere commode valeat. 3. Ut sit diligens, & cautus circa causæ cognitionem, & defensionem cum recta intentione justæ eam defendendi, hoc est, absque dolo, fallaciis, aut verbis contumeliosis.

178. Alia tria debent similiter in initio causæ prævenire. 1. Admonere suum clientem, ut circa negotium litigandum omnimodam sibi referat veritatem. 2. Debet habere factum in scriptis, ne verbis varietur, nam ex brevissima mutatione facti mutatur lex. 3. Debet clientem interrogare, an habeat probationes legitimas, si est actor: vel legitimam defensionem, si est reus, & aperte dicere ei, si caret jure, vel non.

179. Inq. 2. Quantum pretium exigere possint advocati pro suo labore? R. Ubi est pretium taxatum per legem, uti in Hispania, solum queunt accipere juxta taxam, quia supponitur legem taxæ esse legitimam, & justam: igitur observari debet sub obligatione restituendi excessum. Ubi autem pretium non est taxatum

xatum, standum est pretio naturali, justo, & moderato juxta qualitatem negotii. D. Thom. a. 4.

180. Quando advocatus paciscitur cum magnate pro omnibus causis toto anno defendendis potest recipere salarium totius anni, esto nulla lis occurrerit; sicut medici salario conducti illud licite accipiunt, esto pauci, aut nulli infirmantur, quia ipsi expositi, & obligati remanent ex vi pacti, sive pauci, sive multi suo indigeant auxilio. Si autem in medio litis advocatus non posset defendere clientem, solum pro rata temporis, quo laboravit, quit percipere mercedem. Non licet advocato pacisci in litis initio cum cliente de quota determinata, ut de tertia, aut quarta parte, si vicerit; hoc enim vetitum est, ne per fas, aut nefas conentur advocati victoriam obtinere. Non tamē est vetitum pactum sub conditione, sive vincat, sive non: quia in hoc casu non est periculum a jure præsumptum, cum idem pretium sit accepturus advocatus, esto non vincat.

181. Advocatus, cui certa quantitas pro defensione litis fuit absolute promissa, si incepta jam causa, eam cliens sponte deserat, potest totum stipendium recipere, quia se habet ad instar operarii, qui alteri locavit operas suas, nec stat per ipsum eas non ponere, sed per conductorem, qui idcirco juxta quosdam tenetur illi solvere promissam mercedem. Sed attendatur, quid juri naturali juxta circumstantias sit magis consentaneum.

182. Pro coronide monemus omnes advocatos, ut quantum valeant, minuant lites; sunt enim pulvinar Diaboli, origo discordiæ, pernicijs animarum, fons inimicitiarum, turbatio pacis, & officina peccatorum: igitur. *Abstine a lite, & minues peccata. Eccl. 28. 10.*

PUNCTUM II.

De tabellionibus, & aliis officialibus.

183. Secretarii publici, sic appellantur a secreto, quod debent observare in suo munere. Etiam dicuntur *tabelliones*, quia olim scribebant in parvis tabulis, quas secum afferebant; unde *tabelliones*, & *tabellarii* dicebantur. Qui hoc munus

Tom. I.

exercent circa causas ecclesiasticas appellantur *notarii*, quia notant, vel in notas redigunt acta judicii, ut constat ex cap. 1. de simonia.

184. Ab officio tabellionis, quod nobile reputatur, arceantur in primis infames infamia juris, & facti. Deinde clerici in sacris constituti, aut beneficiarii nequeunt esse tabelliones pro foro etiam ecclesiastico publico, sed solum pro secreto in causis ecclesiasticis. Debent tabelliones, & notarii, sicut alii officiales habere sufficientem scientiam pro suo munere, ita ut scientiam instrumenta publica, scripturas, testamenta, conditiones, & clausulas, & alia requisita ad contractus perficiendos: alias peccant graviter contra justitiam, & ad restituenda damna ex sua negligentia orta tenentur.

185. Debent omnimodam veritatem, & fidelitatem observare: alias sunt perjuri; præstant enim juramentum suum munus fideliter exercendi. Unde non solum debent instrumentum verum conficere, sed etiam facta, & verba partium apponere, quin aliquid addant, detrahant, aut mutant: quia sæpe eadem res uno, aut altero modo dicta plurimum partibus obesse, vel prodesse valet. Debent etiam omnia originalia accurate extendere, perficere, & diligenter custodire: nec valent ea occultare, sed exhibere parti ea juste exigenti. Tenentur similiter parti non revelare decreta, antequam a iudice firmentur. Nequeunt conficere testamentum alicujus amentis, aut non sanæ mentis, vel aliquod instrumentum falsum, usurarium, vel injustum. Non valent accipere, nisi pretium taxatum per leges. *Vide supra n. 125. & seq.*

186. Procurator est quidam adiutor advocati, seu quidam *advocatus secundus*. Ideo, quæ de advocatis diximus, applicari sua proportione debent procuratoribus. Debent igitur procuratores sufficientem peritiam habere pro suo munere obeundo; debent illud sollicitè, ac diligenter exercere, petendo terminos justos ad probandum, non impertinentes: nec procrastinare negotia: debent appellare, dum oportet: non admittere causam injustam: nec minus probabilem al-

Yyyyyy tera;

tera : servare veritatem in se , & in suis clientibus : procurare causas anteriores , priusquam alias postea admissas : non inducere partes ad iniquam concordiam ; bene vero ad justam , aequitatem , & paci consentaneam : non jurare nomine partis sine expresso ejus consensu , & informatione : denique , vere , juste , ac sollicitè suum munus exercere : alias peccant contra justitiam , & tenentur ad restitutionem.

187. Relatores , seu referentes sunt , qui causas , & processus litigantium coram iudice referunt . Tenentur ergo ex vi sui officii causam , & processum attente perlegere , & coram Præsidente distinctè , ac clare referre , ita ut si aliquid substantiale omittant , aut uni parti præ alia faveant , alicujus jus magis exponendo , peccant graviter , ad restituendumque tenentur . Prohibitum est eis muneribus , aut esculenta a clientibus accipere .

188. Apparitores , seu satellites sunt velut iudicis executores , seu ministri iudicis , aut reipublicæ . Peccant , si iuramentum non observent , si mandata iudicis non fideliter exequantur , ut si iubeantur alicum capere , ac spe muneris moneant eum , ut fugiat , si lustrans domos asperius se gerat , si absque mandato iudicis vim , aut aliam injuriam inferat , si veritatem , & fidelitatem iudici , aut reipublicæ non proferat , & observet . Denique non licet eis munera , xenia , aut alia admittere , ne a recto iustitiæ tramite horum respectu amoveantur .

189. Officia , de quibus hoc capite sumus locuti , plerisque sunt satis periculosa , non quia ipsa mala sint , sed quia male adimpleri solent . Igitur qui ea moderantur , serviant reipublicæ plusquam sibi , non aspiciant , quid sit ab aliis , sed quid fieri debeat ab omnibus . Observent leges , serventque fideliter taxam , ac se ipsos a vitio avaritiæ , & cupiditatis ; alias timeant se degere in maximo periculo suæ damnationis . Quamvis enim officia ex se mala non sint ; tamen , ut diximus , periculis plena sunt . Beatus qui procul negotiis !

190. Cum a nobis sit dictum tract. de fide quosdam ritus Sinenses esse merito

proscriptos , & tract. de contractibus posse quidquam accipi in mutuo , debitis conditionibus servatis , ratione periculi extrinseci : ut hæc omnibus palam innotescant , doctrinæ pariter , & eruditioni deserviant , integrum sacra Congregat. decretum pro coronide hujus tomi libenter exhibemus . Adjungimus pariter aliud decretum S. R. Inquisit. cujus fit mentio tract. de conscientia , proscriptaque quasdam theses Avisii inepte publicatas , ut ad mentem Ecclesiæ ab omnibus serio reiciantur .

QUÆSITA MISSIONARIORUM

CHINÆ , SEU SINARUM

Sacra Congregatione de Propaganda fide exhibita ,

CUM RESPONDIS AD EA

Decreto ejusdem sacra Congregationis approbatis .

Infrascriptæ Propositiones , a sacra Congregatione de Propaganda fide ad Sanctum Officium transmissæ , fuerunt a Patribus Qualificatoribus ejusdem sancti Officii qualificatæ ut infra .

PRIMO. Utrum Christiani Chineses sint obligati ad observantiam Juris positivi , quantum ad jejunia , confiteri semel in anno , & communicare , festa servare , eo modo quo obligantur Indi in nova Hispania , & in insulis Philippinarum , juxta dispositionem Papæ Pauli III. pro Indis Occidentalibus , & Meridionalibus .

Censuerunt , jus positivum ecclesiasticum de jejuniis absolute obligare Chineses Christianos , & a Missionariis hoc esse illis enunciantum . Attenta vero regionum , & personarum qualitate , locum esse , si Sanctissimum placuerit , dispensationi , quæ fuit alias a fel. rec. Paulo III. Indis concessa ; qua obtenta , sagant Missionarii Sanctæ Matris Ecclesiæ pietatem illis patefacere , quibus ea , quæ in universum indicat , magna ex parte benigne remittit , & indulget .

Cent.

Censuerunt etiam præfatos Chineses obligari ad sacramentalem confessionem semel in anno , & Missionarios hujusmodi obligationem debere eis notificare .

Idem prorsus censuerunt quoad sacram communionem semel in anno sumendam . Quo vero ad executionem tempore statuto , hoc est , in Paschate , id esse intelligendum , nisi legitimum adsit impedimentum , aut grave periculum immincat . Curandum tamen ut infra duos , vel tres menses , ante , vel post , Paschati proximis , quatenus sine discrimine fieri possit , sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi omnino communicent .

Demum censuerunt Chineses ad fidem conversos teneri omnino festa servare , Missionarios etiam teneri hoc eis notificare : locum tamen esse , si sanctissimum annuat , limitandi eis numerum dierum festorum juxta formam privilegii a Paulis III. Indis concessi .

Secundo , utrum in prædicto Regno ministri Evangelici pro nunc saltem in sacramento baptismi possint abstinere ab imponendo mulieribus oleum sanctum Cathemenorum ; sputum in auribus , & sal in ore . Insuper , & non administrare eidem mulieribus sacramentum extræmæ Unctionis . Et ratio dubitandi est , quia Chineses , magno zelo ducuntur erga uxores , filias , & alias mulieres , & scandalum sument ex hujusmodi actionibus .

Censuerunt , & sacramentalia in baptismo mulierum esse adhibenda , & extremam unctionem esse mulieribus conferendam ; nec sufficere motivum in dubitatione expressum , ut Missionarii quantum in se est ab his abstineant . Curandum ergo ut tam salubres ritus , & ceremoniæ introducantur , & observentur ; ac Missionarii tali circumspectione illa admittant , hominesque talibus instruant documentis , ut ab omni suspitione inhonestatis liberentur .

Tertio , in præfato Regno lege stabilitum est , ut in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucris cessantis , aut damni emergentis . Queritur utrum Chiaensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo , licet non interveniat suorum cessans , aut damnum emergens , prædictam , pro centum , tri-

giata quantitatem Regni lege taxatam , accipere : Et causa dubitationis est , quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum , scilicet , quod qui accipit mutuum fugiat , vel quod tardet in solvendo , vel quod necessarium sit coram Iudice petere , vel propter alia hujusmodi .

Censuerunt ratione mutui immediate , & præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem : si vero aliquid accipiat ratione periculi probabiliter imminenti , prout in casu , non esse inquietandos , dummodo habeatur ratio qualitatis periculi , & probabilitatis ejusdem , ac servata proportione inter periculum , & id quod accipitur .

Quarto , in universo Chinarum Regno domus publicas usuris deputatas reperiri res est usitata , in quibus usurarii publici , facta sub pignorum cautione , pecuniam suam , sumpto lucro , ad usuram dare solent ; ea tamen conditione , ut pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant ; & si , tantis elapsis annis , pignorum dominus pro iisdem recuperandis pignoribus , soluta principali pecunia cum lucro , non redierit , actionem , & dominium , quod habebat in suis pignoribus , illico amittant . Iste autem domus reipublicæ necessariae sunt , & quamvis usurarii vitam usurariam dimittere velint , a non desistendo a prædictis usuris , iudicis autoritate compelluntur . Queritur , utrum si hujusmodi usurarii converti velint ad fidem , possint baptizari manendo in suo statu usurario propter causam supradictam ; vel quidnam in tali casu agendum sit .

Censuerunt , Chineses in statu usurario permanentes , baptizari non posse : si vero iudicis autoritate compellantur ad proprias pecunias mutuandas , posse aliquid accipere , etiam recepto pignore , ultra sortem principalem , tum ratione oneris , quod subire coguntur , tum ratione curæ in custodia pignorum , lucris quoque cessantis , & damni emergentis : tempore autem præstituto , si ex venditione pignorum aliquid sortis sortis principalem , & lucro ex causis prædictis juste acquisito , domino pignoris esse restituendum .

Quinto , utrum prædictorum usurariorum filii , si quando in hæreditatibus

co-

eorum succedunt, jam Christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quæ pater ex usuris accepit, in toto, vel in parte, juxta male acceptorum excessum, & si hujusmodi usurariorum filii hæredes jam Christiani, a republica, vel a iudice compellantur ad publicas usurarum domus aperiendas, & sustentandas; quid in hoc casu ministri Evangelii pro sanandis istorum conscientis, facere debent?

Censuerunt, filios hæredes usurariorum teneri, a patribus ex usuris illicitè acquisita, restituere; certis quidem dominis, si certi sunt, sin minus juxta regulas a Doctores traditas: Actualem vero restitutionem a doctis, piis, & prudentibus viris esse dirigendam. Quoad secundam partem hujus dubitationis, jam responsum est in proxime superiori resolutione.

Sexto, in populis, & civitatibus illius Regni mos est imponendi quasdam distributiones, quæ a populis vicinis exiguntur, ut in Pascha novi anni, in Sacrificiis, & Dæmoniorum suorum idolatriis, & invitationibus, ac conviviis in eorundem Templis præparatis, simulque in festivitibus, aliisque indifferentibus pro populi lætitiæ demonstrationibus expendantur. Quaritur utrum Christianis, ac ministris eorum (a quibus etiam tamquam a populis vicinis postulant) licitum sit, pro nunc saltem, pro hujusmodi rebus contribuere? nam si Christiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra Christianos inter Gentiles fiet.

Censuerunt posse Christianos Chineses pecunias contribuere: dummodo per hujusmodi contributiones non intendat ad actus idolatricos, & supersticiosos concurrere, supposita causa, quæ narratur in dubio, præsertim præmissa, si commode fieri potest, protestatione, quod imposita tributa præstant in ordine tantum ad populi lætitiæ, & ad actus indifferentes, vel saltem cultui religionis Christianæ non repugnantes.

Septimo, in omnibus illius Regni civitatibus, & villis, templa cuidam Idolo *Chim boam* dicto erecta, ac dicata reperiantur, quod fingunt Chineses esse protectorem, regentem, & custodem ci-

vitatis, stabilitaque Regni lege ordinatur, ut omnes gubernatores civitatum, & villarum (quos Mandarinos vocant) quando regiminis possessionem assumunt, & anni decursu bis in mense sub poena privationis ab officio, templa adeant præfata, ibique ante dicti idoli altare prostrati, genibus flexis, capiteque ad terram usque inclinato idolum illud adorent, ac venerentur, eidem candelas, odoramenta, flores, carnes, vinumque in sacrificium offerant; & cum sui regiminis possessionem accipiunt, ante prædictum idolum jurant, de rectè administrando, & si contra fecerint, se submittant supplicio ab idolo infligendo, simulque ab illo petunt modum, & normam bene gubernandi, & alia hujusmodi. Quaritur, utrum attentata istius gentis fragilitate, tolerari possit pro nunc, quod tales gubernatores Christiani deferrant quamdam crucem, quam occulte inter altaris idoli flores, vel in manibus propriis reponant? & facere (intentione, non ad idolum, sed ad crucem directam) omnes illas genuflexiones, reverentias, & adorationes ante altare illud, exterius tantum, & fide: omnem cultum interius, & in corde ad crucem dirigendo? Quia si hujusmodi gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, prius apostatant a fide, quam relinquunt officium regiminis.

Censuerunt, nullatenus licere Christianis, hujusmodi actus publicos cultus, aut reverentiæ tribuere idolo, prætextu, vel intentione crucis, quam vel manu gestant, vel in altari inter flores abscondunt.

Octavo, in prædicto regno habent Chineses quemdam magistrum in Philosophia morali literatum, qui olim discessit a vita, vocatum *Kum fu cu*, qui ob doctrinam, regulas, & documenta, adeo in toto regno acceptus est, ut tam Reges, quam omnes alii cujuscumque conditionis, & gradus sint, sibi proponunt imitandum, & sequendum, saltem quoad speculativum, & tamquam sanctum venerantur, & laudant, in omni-que civitate, & villa, præfato magistro templa sunt erecta, gubernatores vero bis in anno tenentur in ejus templo solemnè sacrificium offerre, sacerdotis ipsimet

simet gerentes officium; & sine solemnitate, in anni decursu, bis in mense, concurruntque cum illo aliqui ex litteratis pro administratione eorum, quæ in tali sacrificio offerunt, quæ quidem sunt, unus integer mortuus, capra una integra, candelæ, vinum, flores, odores &c. Item omnes litterati, quando accipiunt gradum, debent ingredi templum istius magistri, & facere genuflexiones, & offerre ante ejus altare ex candelis, & odoribus. Totus iste cultus, sacrificium, & reverentia secundum omnium illarum gentium formalem intentionem, dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipsius relictis doctrinæ documentis, atque ut ab eo impetretur ex ipsius meritis felicitatem sapientiæ, & intellectus. Quaritur, utrum gubernatores, qui Christiani sunt, vel fuerint, & litterati, vocati, & coacti possint ingredi præfatum templum, facere tale sacrificium, vel assistere hujusmodi sacrificio, vel facere genuflexiones ante altare illud, vel accipere aliquid de idolothytis, & oblationibus illis? maxime, quia putant illi infideles, quod quicumque manducaverit ex talibus idolothytis, habebit progressum magnum in suis litteris, & gradibus, & si portantes crucem in manibus, possint licite hoc facere, eo modo, quo dubitationi superiori dictum est, quia si hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, ministri Evangelii in exilium mittentur, & conversio animarum impediatur, & extinguetur.

Censuerunt, non licere, nec posse aliquem prætextu contento in dubio Christianis permitti.

Nono, inviolabilis observantiæ mos est apud Chineses tamquam doctrina a supradicto magistro *Kum fu cu* tradita, quod in omnibus China populis, templa constructa habeant, avis, & progenitoribus suis defunctis dicata, & in unoquoque eorum, omnes, qui ejusmodi familie sunt, bis in anno congregantur, ut præfatis suis progenitoribus solemnè sacrificia faciant magno cæremoniarum apparatu, & in altari multis candelis, floribus, & odoribus adornato, imaginem, sive effigiem parentis, vel avi defuncti collocant, in quo sacrificio invenitur, & qui facit sacerdotis officium,

& ministri illius, offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum &c. Hoc autem sacrificium ex communi illarum gentium intentione dirigitur, ut præfatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem, & reverentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta, & ob illa, quæ ab eis accipere sperant: unde ante altare prostrati deprecationes multas faciunt, postulantes sanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, prosperitatem magnam, & ut ab omnibus adversitatibus liberentur: quod quidem sacrificium in domibus suis, & in sepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen solemnitate. Quaritur, utrum Christiani fidei, & exterius tantum, ut supra dictum est, possint assistere hujusmodi sacrificio, vel exercere aliquod ministerium in illo cum infidelibus committi, sive in templo, sive in domo, vel sepulchro, publice, vel privatim, vel quoniam modo hoc poterit permitti Christianis illis? ne si omnino prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel ut melius dicam, avertant se ab actionibus exterioribus Christianorum.

Censuerunt, Christianis Chinesibus nullatenus licere, fidei, vel exterius assistere sacrificiis in honorem progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuscumque ritibus superstitionis gentium erga ipsos; multo minus licere circa præfata ministerium aliquod exercere.

Decimo, Chineses Christiani asseverant, quod in oblationibus supradictis solummodo intendunt progenitoribus suis defunctis illam exhibere reverentiam, & illa offerre; ac si iisdem viventibus exhiberentur, & in memoriam tantum, ac reverentiam progenitorum, & generationis; & si illi vivi existissent, eadem illis præsentarent, ut illis oblati vascerentur, vel sustentarentur, & ea offerunt absque alia intentione, vel rogationum spe, cum sciant illos mortuos esse, eorumque animas in inferno sepultas. Quaritur, utrum, si hæc inter Christianos tantummodo fierent absque alio gentium consortio in templis, domibus, vel sepulchris, ponendo, & collocando aliquam crucem in altari præfatorum defunctorum dirigendo ad illam suam in-

tionem, ita tamen, quod progenitorum imagini nihil tribuat, nisi honorem, & reverentiam filialem, quam (si vivi extitissent) illis comestibilibus, & odoriferis rebus exhiberent, ut sic populo satisfaciunt. Unde hoc est, quod quaeritur, utrum hoc pro nunc, ut inconvenientia evitentur, tollerari possit?

Censuerunt consequenter ad ea, quae superius dicta fuerunt, præmissa non posse salvari, sive per appositionem crucis, sive propter absentiam gentilium, sive per intentionem, actus de se illicitos, & superstitiosos ad cultum veri Dei, dirigentem.

Undecimo, ad memoriam progenitorum suorum conservandam utitur Chineses quibusdam tabellis, in quibus nomina suorum defunctorum scripta sunt, quas vocant esse animarum sedes, existimantes animas defunctorum venire, & assistere in illis tabellis ad recipiendum sacrificia, & oblationes, & præfatae tabellae sunt collocatae in propriis altaribus cum rosis, candelis, lampadibus, & odoramentis, & coram ipsis tabellis genuflexiones, orationes, & deprecationes faciunt, expectantque auxilium ab illis defunctis concedendum in suis necessitatibus, & laboribus. Quaeritur, an Christianis licitum sit, omnibus gentilitiis superstitionibus, & erroribus postpositis, uti pro nunc præfatis tabellis, illasque inter Domini, Sanctorumque imagines, & in eodem altari collocatas habere, vel in alio separato cum ornatu supradicto ad hoc, ut gentilibus satisfaciunt; vel possint facere supradictas deprecationes, & sacrificia cum intentione supradicta?

Censuerunt, omnino non licere habere illas tabellas in vero, & proprio altari majoribus dicto, multo minus deprecationes, & sacrificia eis offerre, licet occulta, & sic intentione.

Duodecimo, quando in illo Regno aliquis mori contingat, sive Christianus sit, sive Gentilis, pro inviolabili more habetur, in domo defuncti quoddam altare præparare, in eodemque imagine defuncti, seu tabellam supradictam collocare cum ornato odoramentorum, & candelarum, retroque cadaver feretro inclusum ponere: omnes autem, qui ad condolendum domus illas ingrediuntur:

coram præparato altari, & defuncti imagine, ter, vel quater genuflexum, humi sese prostrantes, capitis usque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes, & odoramenta, ut in præparato illo altari, coram defuncti imagine consumentur, & comburantur. Quaeritur, utrum licitum sit Christianis, & præcipue ministris sancti Evangelii, attentio mutuo benevolentiae signo, & amoris, supradicta facere, maxime quando defuncti sunt ex nobilioribus populis?

Censuerunt, posito quod mensa parata sit quaedam tabula, non autem verum, & proprium altare, si cætera continentur intra limites obsequii civilis, & politici, esse toleranda.

Tertiodecimo, quaeritur, utrum Catholicum paratis jam ad baptismum suscipiendum, debeamus ministri declarare, & aperte, & in singulari docere, esse illicita sacrificia, & omnia supradicta, quamvis ex hoc sequantur inconvenientia, scilicet, desistere a susceptione baptismatis, persecutiones, mors, vel exilium ministrorum Evangelicorum!

Censuerunt, ministros Evangelicos teneri docere, sacrificia omnia, præterquam soli Deo esse illicita, cultum Daemonum, & Idolorum esse relinquendum, & quaecumque hujusmodi cultum concernunt, esse falsa, & Christiane fidei repugnantia, ad singularia vero descendendum, prout in Catechumenis ingenii promptitudo, aut ruditas exigit, aliisque circumstantiis, consuetudinibus, ac periculis perspicuis.

Quartodecimo, Chinarum sermone hec vox (*Xing*) idem est quod Sanctus, Sancta, Sanctum: & in libris Doctrinae Christianae a quibusdam Sancti Evangelii ministris prælo mandatis reperitur ista vox (*Xing*) ad nominandam Sanctissimam Trinitatem, Christum, Dominum, beatam Mariam, & ceteros Sanctos. Quaeritur, utrum quando in præfatis libris sese offert occasio, ut nominetur magister Chinarum *Kim fu cu* vocatus, vel mandatum Regis Chinarum, vel ceteri Reges, qui communiter in illo Regno ut sancti reputantur, cum infidelibus, & idolatrae, possimus ne, & sit licitum nobis Christi ministris nominare

supradictos hoc nomine (*Xing*)?

Censuerunt, non posse aliquid firmari circa vocem hanc, ejusve usum, nisi præhabita cognitione idiomatis, ejusve veræ, & propriae significationis: ceterum si eadem vox in Regno Chinarum habet latitudinem posse ministros ea uti, si vero restringatur ad significandam veram, & perfectam sanctitatem, nullatenus posse.

Quintodecimo, in multis templis idolorum illius Regni invenitur una tabula deaurata, & collocata super unam mensam, vel altare, & omnibus ornamentis candelarum, rosarum, odoramentorum munita, & ornata, qua in tabula scriptae sunt litterae, vel characteres sequentes: *Hoam ty van van fuy van fuy*, hoc est: vivat Rex Chinarum ad multa annorum millia; & ante præfata tabulam mos est inter illos idolatras sacrificare bis, vel ter in anno, & facere genuflexiones in honorem, & reverentiam illius. Quaeritur, si ministri Christi Domini possimus in nostris Ecclesiis collocare hujusmodi altare cum tabula, & circumstantiis prædictis, & hoc, ante altare, ubi Sacerdotes Dei sacrificant oblationem immaculatam?

Censuerunt, exclusis sacrificiis, & altari vere, & proprie dicto, cetera, quae redolent tantummodo cultum civilem, aut possunt ad illum reduci, permitti posse.

Sextodecimo quaeritur, si in illo Regno licebit Christianis orare, & sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis, qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt?

Censuerunt, si vere in sua infidelitate discedunt, omnino non licere.

Decimoseptimo, si tenemur Prædicatores Evangelii prædicare in illo Regno CHRISTUM CRUCIFIXUM, & ostendere ejus Sanctissimam Imaginem, maxime in Ecclesiis nostris? Causa hujus dubitationis est, quod Gentiles scandalizantur ex tali prædicatione, & ostensione, & judicant maximam esse stultitiam.

Censuerunt, nulla prudentia, aut prætextu differendam esse doctrinam Passionis Christi post baptismum, sed omnino præmittendam: ad actualem vero prædi-

cationem CHRISTI CRUCIFIXI, licet non teneantur ministri Evangelici in singulis concionibus, sed ad proponendum verbum Dei, ac divina mysteria prudenter, & opportune, & ad illa pro cathemenorum captu explicanda, non tamen a sermonibus Passionis Domini nostri abstinere tenentur ea ratione, quod Gentiles inde scandalum sumant, aut stultitiam putent.

Censuerunt etiam conveniens esse, ut in Ecclesiis imagines habeantur Christi Crucifixi, & ideo curandum, ut quoad opportune fieri potest, exponantur.

DECRETUM

Sacrae Congregationis de Propaganda fide de habita die 12. Sept. 1645.

Referebat Eminentissimo D. Cardinali Ginetto, suprascripta quaesita una cum responsis, & resolutionibus Congregationibus Theologorum ad eorundem quaesitorum examen specialiter instituta, Sacra Congregatio Eminentissimorum DD. Cardinalium de Propaganda fide, præfata responsa, & resolutiones approbavit; & eadem Congregatione supplicante: Sanctissimus Dominus noster ad conservandam uniformitatem in Prædicatione, ejusque praxi, omnibus, & singulis Missionariis cujuscumque ordinis, religionis, & instituti, etiam societatis Jesu, in Regnis Sinarum, aut Chinae pro tempore existentibus, vel exituris, sub poena excommunicationis latae sententiae, sanctitati suae, & sanctae Sedi Apostolicae specialiter reservatae, districte præcipiendo mandavit, quatenus præfata responsa, & resolutiones diligenter observent, illisque in praxi utantur, ac ab aliis, ad quos pertinebit, observari, & practicari faciant, donec sanctas sua, vel sanctae Sedes Apostolica aliud ordinaverit.

191. Quamvis autem decretum hoc sacrae Congregationis de Propaganda fide editum 12. Septembris 1645. sit adeo indubium, certum, authenticum, & solemnne, videatur neminem posse judicare esse dubiae fidei, & minus numerare illud inter apocrypha, & inter tabellas, ut effi-

sicut, nescimus quo jure, quæ causa, Pater Concina tom. 7. pag. 233. num. 3. idemque repetit in compendio, lib. 9. p. 54. num. 14. Adeo firmiter id utrobique tradit, ut de Thoma Hurtado clarissimo Doctore, & in republica litteraria præclarissimo, qui hoc decretum ad confirmandam suam sententiam exhibet, non dubitet dicere: *Author iste, & alia Pontificia decreta obtrudit ut authentica, quæ sunt omnino apocripa.* Ne igitur quisquam adductus Concina, judicet falso decretum hoc esse dubium, vel inter apocripa teneat, libuit amore veritatis, & sanæ doctrinæ illud in propatulo integrum ponere. Nec est alia mens, & intentio nostra, dum palam facimus quosdam defectus, vel errores, qui jacent in operibus hujus Authoris, alia incliti, singularis acuminis, & ingenii, nisi moneantur candidatos, ut ab illis caveant.

DECRETUM

S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONIS confirmatum a SS. D. N. CLEMENTE PAPA XIII. quo prohibetur Theses circa probabilismum expositæ publicæ disputationi anno præterito 1760. Avisit in Diœcesi Tridentina.

Feria 5. die 26. Februarii 1761.

Per suas litteras ad Congregationem S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, labente superiori anno, datas, dolenter nimium conquestus est Antonius Ceschi Tridentinæ Ecclesiæ Canonicus Decanus, theses quasdam de probabilismo a Parocho Avisiensi Diœcesis Tridentinæ in Aedibus canonicalibus jam pridem propugnatas, postmodum sine nota loci, & authoris obscuro prælo fuisse eas, & vulgatas non sine religionis detrimento, & bonorum offensione, præsertim ecclesiasticorum; quorum pars est suo regimini, & vigilantia credita. Postulante itaque eodem Decano congruam adhiberi remedium ingruenti malo, ne latius serpat, theologicæ censuræ de more subjectæ fuerunt prædictæ theses unico contentæ folio impresso, cujus tenor ita se habet.

PROBABILISMUS.

Publicæ disputationi a Vener. clero Avisiensi exercitii gratia expositus contra probabiliorismum stricte talem utpote *negotium perambulans in tenebris.* Pro die 10. Junii 1760. in Aedibus canonicalibus Avisii. *Utinam observaremus mandata Domini certa! quid nobis tanta sollicitudo de dubiis? Celeberrimus P. Const. Roncaglia lib. 2. cap. 3.*

I. Probabilismus noster versatur circa hæc tria. Licet sequi probabiliorē pro libertate, relicta minus probabili pro lege. Licet sequi æque probabilem pro libertate, relicta æque probabili pro lege. Licet sequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege.

EXIIS

Deducuntur sequentia paradoxa.

II. Usus probabilismi maxime tutus usus probabiliorismi maxime periculosus.

III. Usus genuini probabilismi minime in laxitatem degenerare potest: Usus probabiliorismi stricte talis in rigorismum excurrere debet.

IV. Probabilioristas qua tales, qui ex consilio probabiliora sequuntur, laudabilissime operari affirmamus.

V. Probabilioristis stricte talibus, qui ex præcepto, quod nunquam clare probant, seipos, & alios ad probabiliora impellunt, merito rigoristarum nomen imponimus.

VI. Qui nullatenus ad christianam perfectionem tendere possunt, nisi sequendo probabilissimum.

VII. Abusus Probabiliorismi stricte talis non solum licentiæ frænum, sed licentiæ calcar est: quod Gallorum testimonio comprobamus.

VIII. Genuinus itaque noster probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit, nec a S. Sede unquam male fuit notatus, origine sua Thomisticus, progressu ætatis Jesuiticus, utpote a quo actus, emendatus, & contra Jansenianos furores propugnatus fuit.

IX. Qui ergo habitat in adjutorio fundatissimi probabilismi, sub plurimorum

ex

Cap. IV. De advocatis, rebellionibus, & aliis curialibus.
ex omnibus orbis Christiani nationibus præstantissimorum Theologorum protectione commorabitur securus.

Ex Historia Critica.

X. Hinc sine ulla laxismi nota benignissimum etiam vocamus, sed legitimum, quem suadent utraque lex Cæsarea, & Pontificia; sed Dominicanum, quem illustris Dominicanorum Ordo jam a primis temporibus est amplexus: sed pium, qui Christianam pietatem fovet; sed Thomisticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas, & plures opiniones libertati faventes in suis sententiarum libris docet; sed Christianum, qui Christo Domino summe familiaris fuit.

O. A. M. D. & V. G.

Pro coronaide. Probabilismus noster stans pro libertate est notabiliter probabilior ipso probabiliorismo stante pro lege.

Cum vero theses hujusmodi, notæque Theologicæ expensæ fuerint in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctiss. Domino nostro Clemente Papa XIII. Sanctitas sua auditis Eminentissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium in tota republica Christiana contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum a S. Sede Apostolica specialiter deputatorum suffragiis, folium prædictum, & theses in illo expositas prohibendas, ac damnandas esse censuit, prout præsentis decreto damnat, & prohibet, tanquam continentia

propositiones, quarum aliquæ sunt respectivæ falsæ, temerariæ, & piarum aurium offensivæ, illam vero excerptam a numero 10. nempe probabilismum, qui Christo Domino summe familiaris fuit, proscribendam uti erroneam, & hæresi proximam.

Præfatum itaque folium sive theses, ut supra exscriptas sic damnatas, & prohibitas Sanctissimus Dominus noster vetat, ne quis, cujusque status, & conditionis ullo modo sub quocumque prætextu, quovis idiomate imprimere, ac imprimi facere, vel transcribere, aut jam impressum, sive impressas apud se retinere, & legere, sive privatim, sive publice propugnare audeat, sed illud, vel illas ordinariis locorum, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, & consignare teneatur sub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis.

*Benedictus Veterani
Assessor.*

191. Caveat igitur omnis suæ salutis cupidus a suasionē, quod probabiliorismus est periculosus, & probabilismus tutus: quod probabilioristæ sunt rigoristæ, & ab aliis paradoxis in præmissis testibus contentis; ipse enim lumini naturali non parum repugnant. Siquidem, quod probabilis est, verosimilius est, & lumini naturali magis consonat. Hæc autem sufficiant pro primo tomo. Omnia in eo dicta, in secundoque dicenda sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac sapientium judicio humiliter submitto. Utinam cedant omnia in majorem Dei gloriam!

FINIS PRIMI TOMI.